

Quarta est, ut *constans* sit, sibi que semper *similis*; quam proprietatem S. Ambrosius requisivit, dum dixit: « Hæc virtus vera humilitas est, que inter quoslibet meritorum gradus nunquam sui potest esse dissimilis. Nam et in officiorum vicissitudine, et in mansuetudinis lenitate, et in voluntaria paupertatis electione invenitur multa distantia, et alter altero in proposito sui devotione aut major, aut minor est. » S. AMBR. l. XVI, ep. XXXIV.

Tertium caput, scilicet effectus, quod attinet; etsi illi innumeri sint, passim a SS. Patribus et Magistris spiritualibus commemorati atque deprædicati, Asceta tamen merito præ omnibus esse debet, quod humilitas sit efficacissimum medium ad triplicem finem, quem perfectus Religiosus, et is maxime, qui etiam alienæ salutis curam suscepit, propositum habet, scilicet gloriam divinam, perfectionem propriam et alienam assequendam. Nam 1. quidem, quod ad gloriam divinam augendam plurimum conducatur, ex his, quæ supra dicta sunt, satis patet, ubi ostensum est, per humilitatem id, quod homo præstantissimum et charissimum habet, Deo offerri, ideoque Martyrio non immerito comparari, ut adeo recte dixerit Ecclesiasticus: « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam, quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur. » (ECCLES. c. III, 21), utpote qui hoc ipso, dum se nihil esse, scire, et posse, verbo et facto protestantur, clarissimam supremæ Dei Excellentie confessionem faciunt; ob quam causam merito S. David sacrificium Deo gratissimum esse dixit cor contritum et humiliatum. Quod vero 2. etiam ad perfectionem propriam assequendam efficacissimum sit instrumentum humilitas, vel ex ipsa perfectionis natura colligitur; cum enim hæc in conjunctione perfecta cum Deo per charitatem faciendâ consistat, facile patet, non posse melius et citius ad hunc finem perveniri, quam per humilitatem, uti breviter et sapienter indicavit S. Ambrosius, dum dixit: « Quisquis cupit Divinitatis tenere fastigium, humilitatis ima sectetur. » S. AMBR. Hinc Deus S. Brigitte revelavit, humilitatem esse sealam, per quam ad cor Dei ascenditur; id quod Frater Urigman ex Dominicana familia expertus est, ut qui, cum nullum sibi congruum locum reperire posset, nisi in profundo inferno, sub ipsomet

Lucifero, hæc a celo vocem accepit: Cito hæc ascende ad thronum altissimum cor Dei. *Reo. c. XIII.* Ut adeo merito dixerit S. Climacus: « Quoties aliquem vel videris, vel audieris, intra paucos annos altissimam tranquillitatem, (quæ obtenta perfectione obtinetur,) acquisivisse, noli hunc existimare aliam, quam hæc beatam celeremque viam humilitatis, pedibus ambulasse. » S. CL. XXV, c. II et III. « Humilitas sane est tamquam terra, inquit S. Basilus, ex qua crescit et nutritur arbor charitatis, producens flores virtutum, et fructus gratiæ in anima. » S. BASIL. *de Abd.* Quod denique 3. etiam ad perfectionem et salutem alienam maxime conducit humilitas; vel ex ipso Christi exemplo satis colligitur, ut qui et ipse humilitate potissimum velut instrumento ad generis humani salutem procurandam usus est, et ad eundem finem etiam vilissimam queque instrumenta, qualia erant rudes piscatores, elegit. Et quid mirum? si enim etiam domini hujus mundi fidelissimos quosque servos pro arduis suis negotiis eligunt, quidni idem Deus pro salute hominum, velut negotio omnium negotiorum maximo, faciat? Quis autem fideliter est servus, quam humilis, ut qui sciens delictum sibi esse a Deo: Gloriam meam alteri non dabo; studiose eam contingere veretur, et in hoc exemplum fidelis servi Josephi, uxorem domini; vi, quam solam domino suo reservatam esse noverat, contractare nolentis imitatur. Hinc merito S. Ignatius suos operarios in vineam Domini mitens hortari solebat, ut humilitate et contemptu sui viam sibi ad ardua munirent. Quæ omnia hæc ennumerata motiva brevi sententia complexa est B. Angela de Fulgino, dum dixit: « Quanto anima magis afflictâ, et depauperata, et humiliata est interior, tanto magis aptatur, et purificatur, ut allevetur magis, quia nulla anima potest aliter ac plus elevari, nisi quantum humiliatur, et profundius in humilitate complanatur et radicitur. » *Vit. c. XIX.* Itaque semper in mente habeat Asceta verissimam simul et utilissimam pii Scriptoris sententiam: « Merita non sunt ex hoc æstimanda, si quis plures visiones aut revelationes habeat, vel peritus sit in Scripturis, aut in altiori ponatur gradu; sed si vera fuerit humilitate ac charitate repletus; si Dei honorem pure et integre semper quærat; si seipsum nihil reputet, et in veritate despiciat, et ab aliis etiam despici et humi-

liari magis gaudeat, quam honorari. » L. III, c. VII, *de Imitat. Christi.*

Quartum denique caput, scilicet dubia varia, quod attinet, ea per sequentes questiones expediuntur. Itaque

Quæres 1. *Qua ratione quis brevi compendio complecti, facileque memoriæ mandare possit totam de humilitate doctrinam?* Resp. Si memorabilem S. Pauli sententiam animo firmiter impresserit, quæ ad Philippenses scribens dixit: « Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem. » PHILIP. II, 5. Hæc enim sententia breviter et nervose comprehenditur, quidquid ad humilitatis notitiam et praxim requiri posse videtur. Et 1. quidem per illa verba: *formam servi accipiens*, proponitur idea, quam in humilitatis studio sequi quisque debeat, ut scilicet tamquam *servum* seu *mancipium* se tractet, et ab aliis tractari velit; atque adeo sicut servus totus est juris alienis, nihilque proprium possidet, aut sibi adscribit; vilissima quasque domus officia suscipere debet; vilissimo etiam cibo, habitatione, vestibus etc. contentus esse cogitur; nullo honore aut honorifica compellatione afficitur; ad omnia inutilis reputatur, nihilque sibi lucrari potest; ita hæc omnia suo modo verus humilis præstare, et in hoc Christum imitari studeat. 2. Per illa verba: *hoc sentite, etc.* proponitur efficacissimum motivum ad humilitatis exercitium, scilicet Christi exemplum. 3. Per illa verba: *in similitudinem hominum factus*; indicatur potissimum medium ad humilitatem acquirendam, contemptusque cum gaudio tolerandos; nam si non sentit sua vulnera miles, quando Ducis vulnera intuetur, quomodo contemptum sui ægre ferret, qui Christi opprobria animo volvit? Hinc recte S. Leo: « Christi humilitas nulli aspernanda divitum, nulli erubescenda nobilium; nec enim in tantum prohihi potest quælibet felicitas humana fastigium, ut æstimet sibi pudendam, quod Deus in forma servi non est arbitratus indignum. » S. LEO, *s. de Resurrect.*

Quæres 2. *Quomodo quis cum veritate se omnium infimum, et maximum peccatorem reputare possit?* Resp. Variè hoc explicari ab Ascetis,

nempe ut vel quis cogitet, posse esse aliquid occultum, quo alius nos superet (quem modum S. Augustinus tradidit) (S. AUG. s. XXI *de Ver. Apost.*), vel ut propter dona, quæ alius actu possidet, et ipsi desunt, alium anteponat (quo modo S. Gregorius hæc difficultatem explicat) (S. GREG. hom. x in *Ezech.*), vel ut persuadeat sibi, quemvis sceleratum hominem multo majorem gratitudinem Deo exhibiturum, fideliusque servitutum fuisse, si tanta eum misericordia fuisset persecutus (quem modum S. Franciscus insinuavit, et P. Jacobus Alvarez convenienter cæteris putat) (*Vita* l. VI, t. II, l. IV, p. III, c. v), vel ut sua peccata conferat cum Dei donis, quæ sunt in altero (uti S. Thomas et S. Anselmus fecerunt) (S. THOM. qu. CLII, c. III, et S. ANS. l. *de Sim. c. CLX*) vel ut cogitet, alia esse judicia Dei et hominum, ideoque illud S. Pauli dicat: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; quia nesci homo, an amore, an odio dignus sit (et hic modum S. Bernardo aptior est visus) (s. XXVII *in Cont.*), vel ut propter Scripturæ Sacre auctoritatem, servum se inutilem, atque aliis longe minorem judicet, non multum disputans, quomodo cum veritate id dicere possit, quo modo Lancelmus hæc questionem solvi posse existimavit. Opuse. VIII, c. IV.

Quæres 3. *Quomodo practice locus ultimus iuxta Christi monitum ambiri possit, et debeat?* Resp. Si vilissimam quæque in omnibus rebus naturalibus, et in quotidianum usum venientibus queramus et eligamus; aut certe ubi actu habere non possumus, corde sincere appetamus et queramus; nam, ut sapienter Auctor Operis Imperfecti dixit: Non tantum curat Deus, ubi corpus hominis jaceat, sed in qua parte mens conscientie sit collocaeta. Hom. XLIII *in Math.* Ergo quod jubet nobis in ultimo loco recumbere, non solum sic jubet, ut corpore in novissimo jaceamus (hoc enim, ut bene Concionator nonnemo advertit, interdum, cum scilicet quis longo intervallo alios antecedit, sine indecentia et affectata modestiæ suspitione fieri non potest), sed etiam animo, ut nos novissimos judicemus; nam sine causa loco se humiliat, qui corde se præfert. FABER, *con. IX in Dom. XVI, post Pent. q. VII.*

Quæres 4. *An et quomodo se compatiantur, esse humilem, et bona apud homines opinionem florere velle?* Resp. SS. Patres, si dictam opinionem non nisi propter majorem Dei gloriam, proximique salutem magis procu-

randam appetamus : nam, ut præclare S. Gregorius dixit : « Nonnumquam etiam sancti viri de sua opinione gaudent, sed cum per hanc ad meliora perficere audientes pensant ; nec jam de opinione sua, sed de proximorum gaudent utilitate, quib' aliud est fauores quærere et aliud de profectibus exultare. S. GREG. apud Rodrig. tr. III, c. XXIX. Sic S. Paulus Corinthiis ingentes gratias a Deo sibi concessas enumeravit. II COR. III. Sic S. Franciscus Xaverius citra omnem noxam et notam insigni pompa cum Bangi Rege primum congressus est. Vita, l. IV, c. 10. Memorabile quoque est, quod de altero S. Franciso, Seraphico scilicet, circa hanc materiam scribitur. Ingrediens aliquando vicium ob magnam omnium que de ipso erat, Sanctimonie opinionem, eximio honore et pompa excipitur. Pars incolarum Sancti habitum, pars manus, pars pedes osculati, ipso penitus nihil reluctante. Omnino ergo suo comiti Vir Sanctus tali honore nonnihil titillari visus ; quam etiam suspensionem tandem aperuit, cui Franciscus : Noveris, inquit, Frater, hos longe minus, quam deceret, facere. Cumque alter hoc responso sinistre accepto, magis offenderetur, rursus dixit Sanctus : Omnem honorem, quem isti exhibent mihi, non mihi adscribo, sed in Deum refundo. Ac me quidem sic interim permanente in vilitate mea illi impense ditescunt, dum Deum in sua creatura cognoscunt, et venerantur. Chro. S. Franc. p. I, lib. I, c. LXXIII.

Q. 3. Quomodo magnanimitati ad ardua et magna opera faciendâ inclinanti locus sit, si quis per humilitatem ad omnia vultem se facturi debeat? Resp. S. Thomas, usque adeo hæc duo sibi non repugnare, ut potius cum veritate dici queat, neminem alium quam humilem, magna opera tentaturum et facturum, ut qui, quanto plus diffidit sibi, tanto magis Deo fidit, tantum per nos operari solito, quantum nostra in eum fiducia se extenderit. Hinc S. Apostolus abundantius illis omnibus laborasse se dicit, sed mox addit : Non ego sed gratia Dei mecum. I. COR. XV, 10. Sed et Isaias, ut S. Basiliius sagaciter advertit, non dixit ad Deum : « Ecce ego ibo, » sed : « Ecce ego, mitte me. » (ISAIAS, VI, 8) quasi dicat : Novi quidem me impari esse huic legationi, sed tu supplere potes indignitatem. Hinc Jeremias audivit a Deo : Noli dicere : Puer sum, quoniam ad omnia, ad que mittam te, ibis ; et universa, qua-

cunque mandavero tibi, loqueris. Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum. JER. I, 7.

Q. 6. Quomodo debeat et possit quæ omnem successum operum Deo adscribere, cum tamen in ipsius potestate sit hoc vel illud opus laudabile perficere? Resp. Ad hoc Deum ipsum per Oream jam olim respondisse, dum dixit : Perditio tua ex te, Israel, in me tantummodo, auxilium tuum. OSEE XIII, 9. Sicut ergo palme propria virtute quidem uvas et vinum producit, quia tamen hanc ipsam virtutem a vite accepit, non ipsi, sed viti fructus adscribitur ; ita pariter cum non simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo sit, qui operatur in nobis et velle, et perficere pro bona voluntate, merito illi quoque omnis laus et gloria ex nostris operibus exoriens attribuitur. II COR. III, 5.

Q. 7. Cur humiles præ cæteris donorum celestium capaces existant? Resp. Stapletonus, id ob tres causas fieri. 1. Quia, cum nihil habere et posse se putent, ad Deum fiducialiter confugiunt, et ardentem auxilium petunt, et ideo etiam juxta promissum Salvatoris accipiunt. 2. Quia, cum se tam longe esse a perfectione æstiment, valde esuriunt et sitiunt justitiam, atque adeo saturari merentur. 3. Quia, cum se totos evacuent, a Deo, qui perinde ut natura vacuum non patitur, impleri merentur, juxta illud Scripturæ : Dilata os tuum, et ego implebo illud. PSAL. LX, 41. Quas tres causas Christus indicasse videtur, dum dixit : Petite, et accipietis ; quærite, et invenietis ; pulsate, et aperietur vobis. JOAN. XVI, 24. Quæ omnia humilis præstat ; nam petit se incurvando ; quærit, quia vacuum se videt ; pulsat desiderando, quod deesse sibi advertit.

#### CONCEPTUS PRÆ-EDICABILES.

##### De Natura Humilitatis

Ostendi potest exemplo Publicani, quomodo gerere se debeat humilitatis amator studiosus. Nimirum 1. A longe stare, hoc est, indignum se Dei conspectu et alioquin reputare. 2. Retro Phariseum stare, id est, omnibus hominibus se affectu saltem, si effectum fieri non potest, postponere. 3. Oculis

ad terram deicere, per humilem de se sensum, imo et contemptum sui, ob innumeras imperfectiones et peccata. 4. Confiteri suas miseras, id est, libenter pati, ut defectus sui et alie vilitatis materia ab aliis cognoscantur, quin ultra eas detegere. 5. Percutere pectus suam, id est, etiam exteriora signa humilitatis, qualia vel maxime in vilibus officiis elucet, studiose amplecti et exhibere. Vide Fab. conc. vii in Dom. 10 post Pent.

Comparari potest humilitas scale Jacob (GEN. XXVIII, 22), et 1. quidem ostendi, quomodo hæc scala stet super terram, idque probari potest ex ipso nomine humilitatis ; nam, ut S. Anselmus ait, humilis idem est, ac humi alitus (S. ANSEL. in c. II Eph.); S. Isidorus idem ac humi acclivis. S. ISID. I. X Ethym. Hinc et definitur laudabilis sui ad ima dejectio. 2. Quod cæcænum illius celos attingat ; ita enim Christus indicavit, dum dixit : Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum celorum. (MATTH. XVIII, 3.) 3. Quod Deus imitatur scale huic, juxta illud Davidis : Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in celo et in terra? (PS. CXXI, 5.) 4. Quod Angeli ascendant et descendant per illam ; et Angeli quidem celestes descendant ad humiles, utpote quorum societate specialiter delectantur, tum quia illos sibi simillimos in humilitate vident, tum quia singulariter dilectos Deo esse advertunt : terrestres vero Angeli, id est homines, humiles, qui in humilitate, per quam Angeli veri Luciferum superarunt, suamque gloriam sunt promeriti, assimilantur, ascendunt per illam ad gloriam. 5. Quod etiam in hac scala sint varii gradus latiores et minus lati, sicut in scalis solent esse. Et primus quidem ex latioribus sit, seipsum despiciere cogitatione seu corde, qui habet sub se tres alios, scilicet : indignum se divinis donis reputare ; inutilem se ad omnia docere ; minimum omnium se æstimare. Secundus gradus est se verbo despiciere, qui sub se habet alios tres gradus, nempe humilia officia et opera exercere ; vilissima queque in cibo, habitatione et vestibus eligere ; honores fugere et contemptus potius amare. Videri potest Rodrig. p. II, tr. III, c. v, xv et seq.

Potest probari, quod humilitas sit quasi sol parvi mundi, id est, hominis. 1. Quia ut sol in se maximus nobis tamen par-

vus videtur ; ita et humilitas, licet parva sit in oculis pleborumque hominum, in veritate tamen et coram Deo maxima est. 2. Quia, sicut sole oriente disparent omnes stellæ ; ita, cum humilitas animam occupaverit, omnes reliquæ virtutes apparere et æstimari desinunt. 3. Quia sicut a sole conservatur mundus major ; ita ab humilitate mundus parvus. 4. Quia, sicut a solis influxu dependet fertilitas agrorum et hortorum ; ita ab humilitate anima omnem vigorem in producendis actibus supernaturalibus accipit. Excitentur proinde auditores, ut imitentur heliotropium, sequere per totum diem vitæ ad faustissimum hoc sidus convertant.

##### De Motivis Humilitatis.

Potest ostendi necessitas humilitatis ex eo, quod sit fundamentum omnium aliarum virtutum, et totius ædificii spiritualis, uti breviter S. Augustinus indicavit : Cogitas magnam construere fabricam celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. Id quod inductione potiorum virtutum facile confirmari potest, uti Rodrig. l. c. fact. In altera parte ostendatur, quomodo hoc fundamentum poni debeat, scilicet prius fondendo et eiciendo terram, id est, omnem sui ipsius æstimationem, et honoris laudisque desiderium ; dein ponendo primum lapidem, id est, humilem Christum, eique alios lapides seu actus humilitatis jungendo vel offerendo. ROBERTO. p. II, tr. III, c. II et III.

Ostendi potest, totum mundum esse laqueis concupiscentiæ triplicis, scilicet divitiarum, carnis, et honorum involutum ; id quod fusiis probari potest per inductionem singularum partium ; ita ut merito dixerit S. Paulinus : Tota mundi hujus figura Zabulicis est præstante retibus. S. PAULINUS, ep. II, 2. Quomodo per humilitatem supradicti laquei evitentur, uti partim S. Antonio celestis revelatum est, dum mundum retibus irretitum videns, et, quis evasurus sit quærens, audivit : Humilis ! partim etiam S. Ephrem suasit : Humilitatem amplectere, et Diaboli retibus nunquam capieris, quia levissimis humilitatis aliis sublatas, velocior ac sublimior existes, quam ut ab eo capi possis.

## De Modis Humilitatis.

Offeri potest *Speculum cognitionis sui ipsius*, simulque ostendi, hoc speculum esse aptissimum ad nostras miseras demonstrandas, humilemque adeo sensum animis ingenerandum. Quem in finem servare potest sententia S. Bernardi, dicentis: *Ista tria semper in mente habeas: Quid fuisti? Quid es? Quid eris? Quid fuisti? Quia sperma fetidum. Quid es? Quia vas stereorum. Quid eris? Quia esca vermium.* (S. BERN. in serm. *Honest. vit.*) Dicatur proin, has miseras esse velut plumbum speculi; ipsam vero cognitionem harum *miseriarum* esse quasi vitrum, et plurimum promovere humilitatem, juxta illud S. Gregorii: *Custos humilitatis est recordatio proprie fetiditatis. Quem in finem servare possunt, quæ Rodriguez, p. II, tract. III, cap. vi et seqq. tradit.*

Potest homo humilitatis studiosus comparari cum parvulo David (I Reg. XVII, 40), et I. ostendi, quam merito superbus animus propter fidenciam in propriis viribus Goliath comparetur. 2. Quomodo David, id est, humilis, in nomine Domini, id est, auxilio divino, confusus, accipiat quinque lapides limpidissimos (nempe cognitionem quinque capitum numero precedenti indicatorum) eosque per fundam humilitatis capiti Goliathi allidat. 3. Quomodo per hanc victoriam et ipse obtineat sponsam Regis, id est, charitatem cum aliis virtutibus, divitias multas meritorum celestium, audiatque accinentes sibi filias Jerusalem, id est, animas sanctas et humiles personas: Percussit Saul mille, et David decem millia.

Ostendat, nihil esse efficacius ad humilitatem acquirendam, quam seriam et frequentem considerationem triplicis sui nihili, quoad *esse, scire et posse*. Quis enim de nihilo magnam æstimationem concepit, aut laudat illud, aut dolet, si gladio percutiatur, vel contemnatur? 2. Quomodo tamen ex hoc nihilo iterum totum microcosmum creare queat, primo die lucem illustrationis divinæ, excitantis ad sui contemptum; altero firmamentum seu cœlum, id est, humilitatem tanquam sedem Dei; tertio die congregationem aquarum (id est, gratiarum celestium) et germina variarum virtutum ac honorum operum; quarto luminare majus

cognitionis divinæ, et luminare minus cognitionis sui ipsius; quinto animas sensitivas, id est, potentias sensitivas reformando, hominique superiori subjiendo; sexto denique ipsum hominem iri gratia originali constitutum, et suis appetitibus perfecte dominantem.

## ALII CONCEPTUS.

QUALITAS. — Annus cum septem sociis iter instituens, cum noctu ad fanum Idolorum venissent, ibi quieverunt; ipse vero statuam lapideam manu et voce flagellans, et ab illa postmodum veniam injuriæ petens, interrogatus a sociis, quid sibi vellent ista? respondit, statuæ similes esse oportere ad opprobria, contemptusque tolerandos, si simul habitare, et pacifice, et fructuose virtutibus comparandis studere proponerent. Fuit hic communis illorum sensus, et apud omnes magni nominis sanctimoniarum viros pro virtutum omnium fundamento est habitum, ut si abesset, cætera parum firma existimarent. Hinc, cum aliquis ex Fratribus magno illi Abbati Sisoï diceret: *Cum ex animo me ipsum, video Dei presentiam memoriam meæ adhaerentem.* Non est, inquit, magnum hoc, ut mens tua cum Deo sit; magnum est autem, si te ipsum infra omnem creaturam videas. PENNEQUIN, l. c.

S. Bonaventura praxim singularem, dum ab hominibus despectui habetur, docuit, dicens: *Quibus places, attribue eorum benevolentiam, non tuæ prohibiti; quibus autem displices, attribue tuo merito, et cogita: Si in tantillo illis displices, sicut exterius tuam vilitatem possunt cognoscere; quid facerent, si radicibus perspicerent omnia vitia tua, et peccata, et inhonesta tua? Mirum, si te non ejicerent, aut lapidarent. Pro me loquor. Numquam enim a fidelibus ita despectus sum, sicut sum despicibilis in veritate; unde non debeo indignari, cum aliquando despicio, sed mirari, et reputare beneficium Dei, quod non omnibus sim odiosus. Addit deinde: *Cum tibi detrahi intelligis, non movearis; quia si verum est quod dicitur, non est inconveniens, hoc loqui homines, quod tu facere ausus es; si autem verum non est, non nocet tibi eorum loentio. Ut si albus esses, et aliquis diceret, te nigrum esse, quid obesset tibi? S. BONAV. ad Institut. Novit. c. x.**

S. Thomas ille oculatus virtutum abiter dicere solitus est, hominem, qui contemptum ferre non possit, etiamsi miracula faciat, non esse pro sancto aut magnæ virtutis viro habendum. Habebatur vir solitarius inter eremicos non vulgariter sanctus; Episcopus loci, ut virtutem ejus exploraret, misit aliquem ad id prudentia et rerum celestium cognitione probe instructum; hic tumultuarie et militari quodammodo ausu solitarii cellam ingressus, jubet ocreas sibi extrahat; qui despici et probro affici se arbitratus, severo vultu interrogavit, an nosset, quis esset? O non es sanctus, ut aliqui putant, ait tum ille explorator; quando quidem oblatam humiliandi te occasionem nactus eam respuit. Quo dicto in ejus amplexu advolavit, cumque amanter est exosculatus, dicens, neminem hactenus videra de se eloquentem. PENNEQUIN, l. 5, n. 4.

S. Gregorius verba illa Ezechielis exponens: *Animalia ibant, et revertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis*, causam assignat, cur hæc animalia illuminatissimi Dei servos representantia, hoc modo Prophete in visione delineata fuerint, dicens: *Vadunt et revertuntur, in similitudinem fulguris coruscantis, quia postquam mira sancti inter homines faciunt, postquam corda audientium sparsa lumine incedunt; ad quandam Auctori suo gloriam redeunt, ut illi laudem reddant, per quem se posse talia sciunt.* S. GREG. hom. 8. in Ezech.

Observandum est, quod incarnata Sapientia S. Petrum Regni Pontificii possessione et investitura decorare volens, eundem non semel, sed tricies Simonem Joannis appellavit dicendo: *Simon Joannis, diligis me?* Nam, ut Toletus observat, in his omnibus interrogationibus semper Dominus nomine proprio usus fuit, et parentis etiam nomine. *Simon*, inquit, *Joannis*; nec Petrum appellat, quod nomen dignitatis et officii erat; volens eum in hoc admonere, ut, quamvis sit in tantam dignitatem proventus, ut super omnes sit fideles, et totius Ecclesie caput, præ oculis habeat, se piscatorem fuisse, et hominem communem, ne se extolleret, ne suis id meritis adserberet; quo enim in alioem quicquid effertur et erigitur gradum, oblivisci non debet se hominem esse, et aliquid ex humili ignota familia. MANSI, disc. XXI, n. 7.

Rex quidam Norvegiæ, Daniæ et Angliæ,

nomine Cuth, cum floreret maximo vigore Imperii sui, sedile suum in littore maris ascendens statim poni jussit, et alloquens mare, ait: *Impero tibi ne ascendas terram meam, nec vestes, nec membra dominatoris tui madafacere præsumas.* Nihilominus mare ascendit, et terram ac pedes ejus madafecit. Quo facto ille resiliens ait: *Sciant omnes habitatores orbis, vanam et frivolum esse Regis potentiam, nec Regis quempiam nomine dignum, præter eum, cujus nutui cœlum et terra, et mare obediunt.* Et nunquam postea capiti suo coronam auream imposuit, sed super imaginem Salvatoris in cruce eam posuit, in laudem Regis æterni. *Spec. Exempt. ex. 29.*

Sicut superbi honoribus, ita plerumque humiles sui despectione gaudent, quia judicium, quod de se intus habent, ab aliis sentiunt approbati. S. GREG. l. I. *Dial. c. v.*

UTILITAS. — S. Greg. exemplum adducit Davidis, innumeris locupletati meritis apud Deum, summeque gloriosi propter innumeras heroicarum virtutum actus, ideoque nobis eundem contemplandum objicit dicens: *Intueri libet, quanta virtutum munera David perceperat, atque in his omnibus quam forti se humilitate servabat. Quem enim non extolleret ora leonum frangere, ursorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi, reprobatore Rege ad Regni gubernacula ungi, timendum cunctis uno lapide Goliath sternere, a Rege proposita extinctis Alaphylis numerosa præputia reportare, promissum tandem regnum percipere, cunctumque Israeliticum populum sine ulla contradictione possidere. Quem generosorum celebriorumque Davidis conatum numerum, postquam dictus texuisset Ecclesie Doctor, mox ad saltus ponderandos descendit, quos coram Arca in solemnibus processione coram universo populo instituit, propter quos et a Regina Michol uxore sua illusus fuit. Et tamen cum Arcam Dei in Jerusalem revocat, quasi oblitus prælatum se omnibus, admixtus populis ante Arcam saltat; et quia coram Arca saltare, ut creditur, vulgi mox fuerat, Rex se in divino obsequio per saltum rotat. Tandemque per hunc vilipendii sui contemptus actum, optimum sine exercitum, omnium operationum suarum stabilisse meritum concludit dicens: *Coram Deo egit vilia, vel extrema, utilia ex humilitate solidaret, quæ coram hominibus gesserat fortia.* Idem, l. XXVII *Mor.**

Salvator noster apud S. Joannem occasione solemnem ejusdam festi alta voce clamare cepit: *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat*; quæ verba Dion. Carth. ad nostrum propositum, hunc in modum exponit, ut sensus sit: Veniat non corporis gressu dumtaxat, sed et mentis humilii præparatione, quisquis hauriendæ aquæ causa ad fontem contendit, vas quoque secum adferat, in quo illam excipiat, et quanto capacius vas illud fuerit, tanto quoque major in illo haurietur aquæ abundantia; humiles autem præ cæteris hanc prærogativam habent, quod cum se ab omni virtute et merito vacuos esse existimant, vasa ipsorum majora et capaciora ad recipiendam aquam hanc mysticam existant. Nam, ut S. Bonaventura ait: Humilitas cum recipit Dei beneficia, gratias agendo se dilatat, et sic recipiendo parat semper locum, ut Deus amplius infundat; unde ipsa vas admirabile dicitur, quia, dum impletur, de implentione capacior efficitur. S. Bon. in *Diat.* tit. VII, c. I.

In Officio Divino frequenter hæc verba canit Ecclesia: « Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis. » Hæc autem herba *Nardus* dicta, humilis et odorifera, humillimam Virginem denotabat; quæ per profundam humilitatem suam Verbum increatum, ex sinu æterni Patris sui, in Virginali utero suum pertrahere potuit, ut ipsum humanæ nature nostræ adstringeret. Unde S. Antonius ait: Dum esset Rex in accubitu suo, id est, in requie sua quasi dormire videretur, et non curare de salute humana; nardus mea, herba parva est, et significat humilem Virginem, quæ maxime dedit odorem suæ humilitatis, quando se totam Deo subjiciens, ait: *Eccc ancilla Domini*; qui odor usque ad cælum ascendit, et in cælo accumbentem quasi evigilare fecit, et in utero suo requiescere. S. ANTONIUS p. IV, t. XV, c. XXI.

Traditio secularium litterarum est, habuisse quemdam in exercitio, usque certaminis, hoc genus virtutis ac roboris, ut, quoties in luctamine succumbens, virum suarum amicum, et nutricem terram impulsu adversarii contigisset, toties de solo surgens, magis ac magis in adversarium prævaleret, sic dejecto prostrati, occasio fiebat triumphi; dabat enim quodammodo infirmis fortitudinem, lapsus palmam, ruina victoriam. Puto, hæc illi celesti athlete, qui contra Jacob legitur fuisse luctatus, jus-

tius aptari posse. EUSEB. EMISS. *ap. Mansi.* disc. X, n. 3.

Inter octo Beatitudines primus locus humilibus assignatur, dumque cæteris premium spondetur in tempore futuro, solis humilibus premium affertur præsens, dicente Christo: « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram; beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur; beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. » Humilibus vero dicitur in tempore præsentis, *ipsorum est Regnum colorum*. Ubi proinde B. Laur. Justin. sequentem format discursum, loens: Non ait, quoniam intrabunt in Regnum colorum, sed signanter dixit, *quoniam ipsorum est Regnum colorum*, ut scias, quam grati sint humiles Deo, et quam facile hæreditatem adipiscantur æternam, ad quam priusquam migrent de corpore, ipsam possidere dicuntur. S. LAUR. JUST. I. de *Humil.* c. VIII.

In Exodo legitur, quod Deus Moysi, greges Jethro soceri sui, Sacerdotis in Madian, pascenti, apparuerit in medio rubi ardentis, et tamen incombusti manentis, quem rubum videns, *abscondit Moyses faciem suam, non enim audebat aspicere contra Deum*. Quam vero existimatis fuisse causam, quod Moyses suos ad Deum oculos erigere ausus non fuerit? Interpres quidam modernus ait: Cum abscondisset Moyses faciem suam ex humilitate, tunc Dominus revelavit faciem suam, pariter et secreta opera sua, quæ facturus erat. Tunc quoque in generalem populi sui Ducem illum elegit, perpetuamque assistentiam suam ei promisit, et in divinorum secretorum suorum penetralia introduxit. S. Greg. in quadam Homilia super Ezechielem textum illum Psalmiste: « Ascensiones suas disposuit in valle lacrymarum, » exponens, inquit: Convallis proprie humilis locus est, et peccator quisque, dum se in lacrymis humiliter affligit in corde, per ascensum virtutis proficit. Qui rursus ait: « Emitte fontes in convallibus, » quia omnipotens Deus dona spiritualis gratiæ humilibus prestat. MANSI, disc. v, n. 9.

In Sacris Canticiis Amator celestis in hortum descendisse dicitur, ut videret poma convallium; « Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium. » Sed cur potius poma vallium, et non potius poma collium, vel montium videre voluit? Nimirum per hoc significare intendit amatorum electarum dilectus Sponsus, quod gratias suas

liberalius in humiles, per valles denotatos, quam in alios dispenset. Unde S. Gregorius ait: Quid est, quod non poma montis, sed poma convallis ut videat, descendit, nisi quod illis respectum suæ miserationis tribuit, quos in humilitate persistere cognoscit? de quo per Psalmistam dicitur: « Quoniam excelsus Dominus, et humilia respiciet, et alta a longe cognoscit. Ibid. n. 10.

S. Antonius de Padua præsentis proposito nostro egregie accommodat historiam Josephi, præcipientis fratribus suis, ut Benjamin ad se adducerent: « Fratrem vestrum minimum ad me adducite, ut possim vestros probare sermones. » Quæ verba prædictus Sanctus in sensu spirituali in hunc modum exponit: Per fratrem minimum intelligitur humilitas, sine qua infructuose egreditur prædicator, nec ejus a Deo probantur sermones; et e contrario, qui Benjamin secum habet, multum fructum adfert, unde adducto eo dixit Joseph dispensatori: « Imple saccos eorum frumento quantum possunt capere, et in ore sacci fratris minimi ponatur scyphus argenteus, » quia quanto quis humilior est, tanto ei Deus confert gratiam ampliore. S. ANT. DE PADUA de *Apostol.* serm. iv.

Attende, quid consilii nobis det celestis Magister noster: Estote, inquit, prudentes, sicut serpentes. Quod exponit D. Thomas, et simul probat, humilitatem esse prudentissimam; ex quo id accipere possumus, voluisse Christum nobis præscribere mirabilem quandam methodum cum Deo per orationem conversandi. Qui viribus est inferior, vincere fortorem nequaquam potest, si rei exitus a viribus dependeat, sed prudentia et arte sibi consulere debet. Expugnare Deum, et pro votis omnia ab eo obtinere si cupis, non viribus cum eo, neque virtute meritorum contendere, sed arte potius et serpentis calliditate utere. Serpens astutissimus, ut in altum se erigere, et in aera prosilire valeat, cum neque brachia neque pedes, sicut vulpes, aut canis, catusve, neque alas avium instar habeat, pro his omnibus pectore utitur, illudque terre applicans mox corpore reliquo incumbit, et quo magis se ad terram deprimit, tanto securiori in altum saltu assurgit. Vis, ut oratio tua eas vires habeat, ut usque ad supremum colorum penetret? Deprime pectus cognitionis tuæ ad terram, agnosce miseria tuas, et confitere imbecillitatem tuam,

quodque ex te nihil aliud sis, quam vilis terræ massa, tam cælo indigna, sicut lutum, ut inter stellas colloceatur. Quanto sincerius hoc egeris, et quo humiliter de depresseris, eo majori fortitudine tua assurgit oratio. Sic magnus ille credentium Pater Abraham, quanto vehementius instare, et fortius urgere volebat id, quod per orationem impetrare desiderabat, tanto constringebat se amplius, soloque arectis apprebabat dicens: « Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. » Et certum est, non potuisse mentiri eum, qui dixit: « Oratio humiliantis se nubes penetrabit, et donec propinquet, non consolabitur, et non discedet, donec Altissimus adspiciat. » Quam sublimem edit saltum oratio humilitati innixa? Nulla tam altum volat aquila, nulla ita nubes ardua penetrat, sicut humilis oratio, que non conquiescit, donec ad ipsum cor Dei pervenerit, illudque suaviter apprehenderit, quo, ut aiebat David, *humilia respicit in cælo et in terra*. O fides Christiana, ait D. Ambrosius, quæ in humilitate totum impetrare consecutus! JOAN. BAPT. DE LA NUZA, hom. II. n. 14.

Disputant Doctores, quis Centurionem tantis beneficiis, quibus eum dignatus est Christus, reddiderit dignum? Quis eum ad illa præparavit? Ipsimet Seniores Christo loquentes, protestantur: Dignus est, ut hoc ei præstes. Ipse exclamat: Non sum dignus. Illi e contra: Dignus est. Quid hoc rei? Ecce religiosus Centurio ad accipiendam salutem sit dignior, ait D. Ambrosius, dum se proficitur indignum. Et dum ædes suas injurias putat, magis eas honorificas facit et gratas. Quia dicebat non sum dignus, ait D. Chrysostomus, propterea dignus factus est, et admirationi super omnes Judeos habitus. Dicendo se indignum, teste S. Augustini præstitit dignum, non in curus parietis, sed in ejus cor Christus intraret. Et ratio ex sententia horum Patrum ea est, quia nihil est, quod hominem adeo reddat aptum divinis beneficiis, dignumque, ut ipse Deus se adibus ejus insinuet, quam si ex profunda humilitate omnibus his se indignum reputet et agnoscat. Quocirca, ut Deus cor tuum subeat, et sua in te effundat dona, necesse est, ut prius te ipsum exinanias a te ipso, et quidquid es, evacues. Hoc operatur humilitas, per quam te nihil boni habere, quod tuum sit, agnoscis, indignumque esse etiam ipsa aqua, quam bibis, et ipso aere, quo respiras, quanto magis indignum Deo,

ejusque beneficiis, gratis, ac donis celestibus? *Ibid.*, §. 14, n. 15.

Observe studiose, ait S. Chrysostomus, hos solos a Deo dignos esse pronuntiatos, qui se ipsos agnoverunt indignos. S. Paulus clamat: « Non sum dignus vocari Apostolus. » E contra Christus: « Vas electionis est mihi iste, » S. Paulus dicens: Non sum dignus vocari Apostolus propter hoc omnium primus factus est. Eodem modo videbis, ait D. Chrys. quomodo se Baptista retrahat, dicens: « Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus. » Sed ob hoc ipsum Christus eum dignum pronuntiat, non solum qui manibus suis pedes ejus tangat, sed etiam eas supra verticem ejus extendat, quique (uti charus et fidus amicus) ad latus ejus residat. Unde et amicum Sponsi eum appellat. Joannes dicens, non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus, ideo amicus fuit Sponsi; et manum, quam esse calceamentis dixit indignam, hanc super caput suum Christus attraxit. Exclamat D. Petrus, et protestatur, indignum se esse, qui adsit, ubi Christus est præsens, quem ideo rogat, ut alio se recipiat: Exi a me, Domine, quia homo peccator, sum; et Christus ob hoc cum sibi tam proximum facit, ut eum constituat suum vicarium, et Ecclesie suae fundamentum, ita ut inter Christum et Petrum nemo sit medius. *Ibid.*

Mirum in hanc rem quadrat discursus, quem format D. Hieronymus super ea, quæ D. Paulus scribit Philippensibus. Dicit enim illis, se conari insistere vestigiis Christi, ejusque passionem, poenas, et crucem imitari. « Et in his (ait) nondum ad finem perveni, quocirca non me reputo perfectum. Non quod jam acceperim, aut perfectus sim, sequor autem, si quo modo comprehendam. Sic ambulo, ut cui adhuc multam superest itineris; multa mihi desunt ad perfectionem. » Et illico adjungit: « Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. » Hoc est, nos qui jam culmen perfectionis attingimus, id ipsum existimare debemus de nobis. Occurrit hic D. Hieronymus, et ait: O Sancte Apostole, num forsitan oblitus es ejus, quod paulo ante dixisti: Non quod jam perfectus sim? Si hoc ita sit, quomodo te continuo ita inter perfectos annumeras, et ais: « Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Celestis plane hæc est Philosophia, ait D. Hieronymus, quinimo ex hoc ipso perfectus est, quod se inter imper-

fectos annumerat; nec est quidquam, quod hominem perficiat, quam ex submissa humilitate se imperfectum agnoscere, nulla res adeo consummatum reddidit hominem, et tam cito ad virtutis promovet apicem, sicut de se opinari, et credere, quod nec primum quidem pedem fixerit in via perfectionis. *Ibid.*

DIGNITAS. — S. Bonaventura questionem valde considerabilem, valdeque ad resolvendum, ut ipse dicit, difficile proponit; quaerit enim, quenam sit ratio, quod, cum Deus sit Altissimus (*tu solus Altissimus*) omnique natura creata superior, nos nihilominus ad eum approximare non possumus ascendendo, sed potius descendendo? Hoc enim, ut S. Augustinus ait, contrarium esse videtur; ad ea enim, quæ in alto sunt, ascendendo, non vero descendendo pervenitur. Unde S. Aug. lib. XIV. *de Civit. Dei* cap. XIII, inquit: Cum tamen Cælum situ sit altum, non proximior est ei, qui in altissimum montem ascendit, quam ille, qui in profundissimam vallem descendit. Quis unquam arborem altam, quis in domum elevatam, quis in, turrim altissimam ascendit, se inclinando, et non potius elevando? Nam ad hoc fiunt scalæ in turribus, ut per gradus ad summum veniamus; videtur igitur, quod magis debemus proximare Deo nos elevando, quam deieciendo. In contrarium vero adducit auctoritatem Psalmistæ, in psalm. LXXIII, clare dicens: « Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus. » Mira res, quia quanto plus te elevas, tanto plus a Deo distas. Sed attende, quod in rebus creatis, quæ situm habent, in loco, et inter se distant, sicut ab eis loco distamus, sic et loco earum, si volumus, proximamus, et per locales gradus ad eas accedimus. Nulla enim res creata inferior infra cœli circumferentiam adequate est conclusa, licet intra eam sit in certa et finita proportione contenta, quæ utique mensurata est, et finita, quia si eorum infinitum esset utique mensurari non posset, sicut Philosophus dicit. Cum inter creata distantia sit finita, dum partes medias pertransimus, illi cœlo approximamus, imo cum montem ascendimus, cœlo proximiores sumus. Exemplum de iis, qui ædificaverunt turrim Babel, ut in cœlum ascenderent. Sed nota, quod non sic Deo approximamus, Deus enim est immensus et infinitus, nullo loco conclusus, sed est ubique totus, ut sine eo omnino nullus sit locus; ergo nec loco a Deo

distamus; nec ei, ut dicit Augustinus, loco, sed actionibus approximamus, quod non facinus nos exaltando, sed ei nos potius subjiciendo; nam cum ipse a nobis distet in infinitum (cum infinitum pertransiri non possit, ut dicit Philosophus) ideo sic ei non approximamus. Nos ergo per nos non possumus ad eum accedere, sed ipsius est ad nos inclinare, et nos ad se levare, cum sit potentie infinite. Cum ergo humilitas nos Deo perfecte subjiciat, Deum ad nos inclinat, ejus gratia nos exaltat. S. BONAV. *de Confessore* s. III.

Olim inter eruditos hoc motum est dubium, quidnam illud esset, quod uno eodemque tempore simul et maximum minimum appellari posset? Fueruntque, qui solem esse dicerent, qui oculis nostris parvus quidem esse videtur, cum tamen terra centies et sexagies major esse probetur. Alii stellam esse dixerunt, quæ nobis velut quædam ignis scintilla apparet, cum tamen una illarum centies major sit mundo terrestri. Alii pupillam oculi esse asserbant, quæ ad contemplantam amplissimam Cœli empyrei partem extenditur, cum tamen instar atomi minutissima sit. Nec defuere, qui illud intellectum humanum esse affirmarent, qui non solum ad capiendum cœlum, terram, et totum universum dilatatur, verum etiam extra illud per imaginationem plures mundos capit. Subjunxerunt alii non minus ingeniose, illud esse animam, quæ cum invisibilis sit, et purus spiritus, in se tamen tres potentias restringit et includit, et in quavis corporis animati minima parte et tota in toto, et tota in qualibet parte. At vero aptius ad propositum nostrum affirmare libere possumus, id quod simul maximum et minimum est, esse humilitatem, et nihilum B. Virginis, quæ dixit: « Respexit humilitatem ancille suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes; fecit potentiam in brachio suo, fecit in me magna, qui potens est. » Nemo enim imaginari sibi potest humilitatem magis infnam, nec dignitatem magis sublimem. MANSI, *disc. XVIII*, n. 9.

De curra Salomonis sic aiebat Sponsa, Cant. II, 9, 10. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, reclinatorium aureum, ascensum purpureum.* Dubitari hoc loco potest, cur Salomon ex purpura potius, quam re alia quapiam, fieri voluerit ascensum. Ascensus est, qui pedibus premitur, calca-

tur, leritur omnium. Purpura Majestatis regie symbolum est, sacris pariter et profanis auctoribus. Quomodo ergo Salomon substratam pedibus voluit, quam Reges vestiunt, et summo capiti imponunt? Respondet egregie Gilbertus Abbas: Quia humilitas suscepta pro Christo regiam præfert dignitatem. Merito ascensum, qui pro scabello pedum est, regia vestiebat purpura, quam Principes capitis ad ornamentum et insigne dignitatis gestant, ut tali schemate significaret, eum, qui se pedibus omnium submittit, qui calcatur, proteritur ab omnibus, idque suaviter tolerat, purpuram esse, aut certe dignum, qui purpuram ipse Rex, sive Princeps induat: Humilitas suscepta pro Christo regiam præfert dignitatem. DM. NYSS. *Dom. XVI, post Pent. § 4.*

S. Climacus in quadam congressu viro- rum admodum illuminatorum, singulis per ordinem suam de humilitatis virtute sententiam denuntiatis, se ultimum fuisse gloriatur; ita enim de se ipso scribit: Ultimus omnium et vilissimus tanquam catellus, de micis et mensa e ore sapientum illorum Patrum cadentibus, collegi, et de humilitate disserturus, dixi: Humilitas est gratia animæ, nominis expers, solis nominata iis, qui ejus experimentum cœperunt, inexplicabilis thesaurus, a Deo sortita, singulare munus Dei. S. CLM. *gr. xv.*

In Apocalypsi legitur Deus ad quemdam Episcopum dixisse: « Scio pauperitatem tuam, sed dives es. » Qui loquendi modus prima facie contradictionem involvere videtur; si enim dives est, qualiter inops appellatur? S. Ansbertus per pauperitatem, humilitatem intelligit, quæ omnibus opulenta est virtutibus; quo enim anima humilior est, minusque se virtuosam reputat, et perfectam, tanto majoribus abundat perfectionis et sanctitatis divitiis. Quæ est ista dives paupertas, inquit ille, nisi illa contritio spiritus, quæ superbia minuitur, humilitas vero augetur? Hac paupertate locupletibus Dominus dicit: « Beati pauperes spiritu. » Ille spiritu pauper est, qui etiam, cum bona agit, semper se inutilem attendit. Ille spiritu pauper est, qui, cum plures virtute et sanctitate superet, cunctis se ipsum inferiori meritis perpendit. Ideoque et Sanctus Basilius in admonitione ad filium spiritualem hanc humilitati attribuit laudem, dicens: Vir humilis Deo est similis, et in templo pectoris sui gestat eum. MANSI, *disc. III*, n. 10.

S. Dorotheus de hac materia discurrens ait: Corona quoque circumponenda est domui. Scriptum est autem in lege veteri: « Si edificaveritis vobis domum, fabricate circa circum coronam in tecto, ne parvuli vestri ruant de tecto. » Corona illa est humilitas mentis, hæc enim est, quæ virtutes omnes coronat, conservat. Quemadmodum omnis virtus ex humilitate gignitur, et cum humilitate producit, atque exercetur; ita virtutum omnium absoluta perfectio humilitate completur. Moxque idem Sanctus interrogat, quinam illi sint parvuli, pro quorum tutela et salute dicta fabrica per modum coronæ extrui jubeatur, ne cadant; dicit enim: Sed quinam sunt parvuli illi, de quibus lex ait: Ne parvuli vestri cadant, et ruant de tecto? Respondetque dicens: Parvuli quidem sunt cogitationes, quæ in anima nostra gignantur, quas oportet humilitate custodiri, ne ruant ex tecto, quam diximus esse omnium virtutum consummationem. S. Dorothei. serm. xli.

Nescio, an aliquando observaveritis, inquit Mansi, quod S. Joannes (de quo S. Mater Ecclesia canit: « Fluente Evangelii de sacro Dominici pectoris fonte potavit) describere nobis volens heroicam illam humilitatem et submissionem, quam Salvator in lotionem pedum Apostolorum suorum exhibuit, verba illa præmiserit: Sciens quod omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit. Quamnam enim hæc verba cum lotionem pedum vilium piscatorum connexionem habent? Et tamen nequaquam dubitandum est, quin Evangelista cum altissimo mysterio eadem verba præmiserit. Audiamus Theophylactum hæc de re loquentem: Cum sciret, inquit, quod omnia tradidisset ei Pater, et quod a Deo exisset, et quod ad Deum iret, non timebat minui gloriam suam, lavans pedes discipulorum, non enim rapuerat gloriam, ut timeret ab illa excidere; et propterea non dignantur humile quidam facere, qui generosi non sunt, quoniam gloriam rapiunt, nolentes ullo modo humiliari, ne prodant, quod rapuerant. At omnium Rex erat, et Dei Filius, hoc enim vult cum dixit: A Deo exivit, hoc est, ex Patris substantia, ut iterum ad Deum iret. MANSI, disc. xxii. n. 1.

In Exodo visionem quamdam lego presentis proposito valde accomodatam: « Viderunt enim Deum Israel, » inquit Sacer Textus, « et sub pedibus ejus quasi opus la-

pidis Saphyrini, et quasi cælum, cum serenum est. » In Hebræo legitur: « quasi opus lateris saphyrini. Hoc igitur lutum, quod filii Israel in Ægypto tractabant, lateres fabricando, et in cultu Religionis, et veri Dei, constanter et fideliter perseverando, in totifem gemmas et saphyros sub Dei pedibus in cælum empyreum transmutatum fuit; ut inde intelligamus, quantam in oculis Dei pulchritudinem et valorem habeant actus humilitationis, in quibus ad Deo placendum nos exercemus. Lutosa lateritia, inquit Oleaster, ac immunda tibi videbuntur, et his, qui terrena sapiunt, sed apud Deum pretiosus lapides sunt, quibus sedes ejus decoratur. Expende, quanti Deus faciat hæc; lutum laboris eorum in saphyrum versum est, et margaritam. Quid, quæso, luto immundius et latere? Quid vero mundius aut pulchrius cælo? Non sat fuit Domino lateres terrenos in cælestem saphyrum mutasse, nisi etiam in cælum lutum mutet, neque in qualecumque cælum, sed mundissimum, O beata utilitas humiliantis se propter Deum, quæ in cælestem munditiam tam facile commutat! MANSI, disc. xxii. n. 7.

Deus noster primo credentium patri numerosam prædicturus ab eo descensuram stirpem, hæc legitur usus fuisse sermonis phrasi: « Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, et velut arenam. » Alias quoque progeniei ejus fecunditatem et multiplicatam pulveri assimilasse scribitur, quando dixit: « Faciam semen tuum sicut pulverem terræ. » Quæ, obsecro, pulverem, seu arenam inter stellasque cæli est proportio? Respondet Hugo Card. Boni sunt pulvis pro humilitate, qua se instar pulveris pedum, omnibus viliores reputant, ideoque ad stellas usque evahuntur, qui ita se abjecerunt, sicut pulvis. *Ibid.* [dis. xvi, n. 8.

#### MISCELLANEA.

QUALITAS. — Joseph Patriarcha non attigit uxorem Putiphari, quia omnia sibi tradita meminit præter ipsam; sic humilis omnia sibi a Deo data agnoscens, præter gloriam Dei, de qua dixit: Gloriam meam alleri non dabo; studiosè pavet, ne eam contingat.

Quid sublimius aquilis? Quid abjectius cadavere? Et tamen, ubi est cadaver, mox advolat illæ. Sic etiam humilis, quantum-

cumque alis contemplationis super terram elevatus sit, mox tamen, ubi vile quoddam officium aut objectum videt, advolat. JAC. ALV. p. 11, c. xli.

Sanctus Laurentius Justinianus dixit, neminem scire bene, quid sit humilitas, nisi qui a Deo acceperit, ut sit humilis. In nullo enim tam falli homines, quam in vera humilitate cognoscenda. *Vita*, c. ix.

Quidam Frater dixit Abbati Sisoi: Video me ipsum, quia memoria mea ad Deum intenta est. Cui Abbas respondit: Non est magnum hoc, si mens tua cum Deo sit; magnum est autem, si te infra omnem creaturam videas. *Vita Patrum*, p. 626, num. 47.

Proprietates humilitatis pulchre per animalia ab Ezechiele visa indicantur; nam per Vitulum mansuetudo patientiæ; per Leonem fortitudo; per Hominem prudentia; per Aquilam altitudo contemplationis, ad quam humiles elevantur; aut potius intentio Solem justitiæ fixe respiciens significatur. NIEREMBERG. in *Doct. Ascet.* l. III, c. xlii.

Carolus V, Imperator, postremo ejusdem ex Germania recessu, cum Uleisingæ ventos navigationi propitios opperitur, factum, ut seram noctem de rebus seriis ageret. Jam et nox, et lumina somnum postulabant, signoque nola dato, nullo e ministris, somno vinoque sepultis, accurrente, ipse Carolus lumen arripit, Seldio quantumvis renitenti præfert, eique per gradus ad quietis locum deducto: « Hoc tibi monumentum, ait, illius Caroli habeto, Seldi, tot exercitiis et satellitibus quondam stipati, quem nunc solum, et a familia desertum vides, et cui tu tot annis servivisti, ille tibi servit, et lumen prætulit. ENGELGRAV. l. VIII, Embl. xxxviii, §. 3.

NECESSITAS. — Quidam ex Patribus dicebat: Omnis labor monachi vanus est sine humilitate. Humilitas enim præcursor est charitatis, sicut Joannes erat præcursor Christi, omnes trahens ad eum. *Vita Patr.* l. III, n. 126.

Alius dicebat: Sicut impossibile est navem firmam esse sine clavis; ita impossibile est, hominem sine humilitate salvari. *Ibid.*

S. Thomas dicebat: Qui honoris est cupidus, contemnente refugit, et, cum contemnitur, excandescit, etsi miracula faceret, a vera perfectione longissime abest; nulla enim virtus ibi esse potest, ubi fundamentum virtutis, nempe humilitas, deest.

Abbas Moyses, cum discipulum suum Zachariam hortatus esset, ut Patribus presentibus aliquid diceret, pallium suum deposuit subtus pedes, illudque conculcans dixit: Nisi quis tali modo conculcatus fuerit, monachus esse non potest. *Vita Patr.* l. II, c. ii.

Cum Frater quidam landaretur a Fratribus apud Sanctum Antonium, hic tentavit eum, an posset injuriam ferre, quod cum non posset, dixit Sanctus Antonius: Similis est hic domui, quæ a facie quidem ornata est, retro vero a latronibus spoliata. *Ib.* l. X.

Christus Dominus, cum jussisset virginem Abbatissam præfici virginibus, subdit, ut si virgo inventa non fuerit, hoc onus assumat vidua humilis. Quid enim est, quod humilitas perfecta non meretur? Propter humilitatem factus ego sum, Deus et Dei Filius, verus Filius Virginis. Et sine humilitate non est via ad cælum. S. BRIGITTE. *Rev.* c. xxxi.

B. Angele de Fulgino apparet B. Virgo in die Purificationis, Christum clausis oculis dormientem in sinu ejus repositum. Ubi parvulus postea oculos aperuit, inexpressibilis inde splendor et ignis amoris ac lætitiæ erupit. Et tunc subito apparuit una majestas, et dixit mihi. Qui non viderit me parvum, non videbit me magnum. Ego veni ad te, et obtuli me tibi, ut te offeras mihi. *In opus.* c. xlv.

UTILITAS. — Humilitas recte auro malleato, quod pagellis inseritur, comparatur, quia, sicut aureus unicus in tam subtili lamina diducitur, ut integram mensam obtegat; ita humilitas omnes malleorum ictus tolerat, et ita diducitur, ut omnibus se hominibus humilis subjiciat. DREX. *Ros.* p. II, c. xiv, §. 3.

Ovidius humilis loci commoda explicans, sic canit:

Uisibus edocto si quidquam credis amico,  
Vive tibi, et longo nomina magna fuge.  
Vive tibi, quantumque potes, prælustra vita,  
Sævum prælustris fulmen ab aere venit.  
Effugit hybernas demissa antena procellas,  
Lataque plus parvis vela timoris habent.  
Aspicis, ut summa cortex levis innatet unda;  
Cum grave nexa simul rotia mergat onus?  
(*Lib. III, Trist. eleg. iv.*)

Christus S. Brigittæ dixit: Humilitate mentis et corporis penetratur cælum, et vincitur Diabolus superbus. *Lib. IV, Rev.* c. lviii.

S. Bernardus dicere solebat: Cum te humiliari videris, habeto id signum in bonum

omnino gratiæ appropinquantis. Nam sicut ante ruinam exaltatur cor; ita ante exaltationem humiliatio. S. BERN. S. XLIV in *Cant.*  
Idem dicere solebat, *Cogita de Deo*, quidquid melius potes, et de te, quidquid deterius vales. Cap. VI *Medit.*

Idem dicebat, tres esse humilitatis gradus (aut effectus potius) fructum penitentiae, desiderium iustitiæ, opus misericordiæ.

Fr. Ægidius, audita Fratris Eliæ apostasia (qui erat totius Ordinis Generalis) ad Ecclesiam confugit, acerrimeque pavimento se appressit. Causam vero rogatus dixit: Ego descendam, quantum possum, quod Elias plus æquo ascendendo elisus sit, et turpissime cornuerit. *De grad. Humil.*

DIGNITAS. — Cum Frater quidam senem interrogaret, quis esset profectus hominis? respondit ille: Humilitas. Quantum enim ad humilitatem inclinatus quis fuerit, tantum elevabitur ad profectum. *Vit. PP. libell.* xv. n. 77.

Alius quidam senex interrogatus, quid sit humilitas? respondit: Humilitas est magnum opus et divinum, via autem ad humilitatem hæc est, ut labores corporales assumi debeant. *Ib.* n. 82.

Philippus II, Hispaniæ Rex, in emblemate habuit pilam, in altum jactatam, quæ in humum delapsa resilit, cum inscriptione: *Percussa elevor.* KISELIUS, in *Nilo* t. I, c. 5.  
Abbas Pastor dicere solebat, humilitatem esse terram, in qua Dominus Sacrificium fieri mandavit. *Vit. PP. l. V, libell. XXXI.*

Christus B. Birgittæ dixit, humilitatem esse illam virtutem, quæ Deum in cor introducit. *L. VI Rev. c. CXVI.*

Aristenes, teste S. Clemente Alexandrino, dixit, beatitudinem esse fastus vacuitatem. *LANCIZ. opuse.* VIII c. II, n. 17.

B. Virgo, cum commendaret Christo B. Brigitam, ut ei sua dona daret, dixit ei Christus: Qui quaerit sublimia, necesse est, ut prius agat fortia, et exerceat humilia. Ideo tria sunt ei necessaria. Primum est, ut habeat humilitatem, per hanc enim sublimitas obtinetur. *Lib. VII Rev. c. XLII.*

S. Catharinæ Senensi dixit Deus, humilitatis sororem esse patientiam invictam, et hanc patientiam esse medullam charitatis, ac signum evidens, ac aperte demonstrativum, quod anima sit in gratia consistens in Deo, et Deum per gratiam in se habens. *Dial. c. CLIV.*

S. Hieronymus de S. Paula Romana dixit:

Fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutem quasi umbra sequitur, et appetitores sui deserens, appetit contemptores. *RODRIG. p. II, tr. III, c. XIX.*

Sponsus Sponsæ suæ pulchritudinem laudare volens, a pedibus præcipue eam commendavit, dicens: Quam pulchri sunt gressus tui in calcamentis, Filia Principis. *CANT. VII.* Hinc S. Ludovicus Tolosanus dixit: Nilil tam gratum Deo, quam si vitæ merito magni, humilitate infimi simus, cum tanto quis pretiosior sit Deo, quanto vilior sibi. *FAB. tom. V, in festo S. Matthiæ.*

Purpura piscis ascendit ad regum ornamentum, ea tamen prius in profundo pelagi quaeri debet, ubi solum invenitur, teste *Picrario. L. II Hierogl.*

Cum humilibus ludit Deus, sicut Joseph olim luserat cum Benjamin, quem initio quasi furem premere ac vincire se velle simulavit, postea vero id totum joco factum ostendit, eumque amplexans cæteris fratribus prætulit. *FAB. l. c.*

S. Chrysostomus ait, laudis despiciantiam esse angelicæ cujusdam animæ, verticis celestis testitudinem tangentis. *HOM. XLIII ad Popul.*

Cum B. Catharina Riccia, dato a B. Virgine in pilas Christo parvulo, quaereret, quid esset agendum, ut placere posset puero Jesu? respondit B. Virgo, Filio suo humiles, et obediens placere super omnes. *Vit. c. cxxi.*

Sicut unicus est locus, quem sol semel tantum aspexit, scilicet fundus Jordanis, quando Israelitæ transibant; et sicut unicus est dies, quo totus mundus exultavit, quando scilicet Noe cum uxore et liberis ex arca egressus est; ita unica est virtus, quam Diabolus imitari non potest, nempe humilitas. *S. CLM. ap. Drex. Ros. p. II, c. XIV, § 3.*

Humilitas est succulæ, id est, machinæ tractoriæ similis, quæ, quidquid ei affigitur, in altum trahit. *Ibid.*

Dixerat S. Paulus ante Romanis: Quis cognovit sensum Domini? Sed postea eum Philippensibus aperte indicit dicens: Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, etc. *PHILIP. II, 5.*

Male quidem cesserat olim Lucifero, quod voluerit similis esse Altissimo; nunc autem cum tot premiis invitetur, ut fiamus Altissimo similes, scilicet per humilitatem Christi, an non grandis erit impudentia et ingratitude, si id facere recusemus? *Ibid.*

Athenienses Pompeio adventanti divinos que honores recusanti scripsere: Quatenus te censes hominem, eatenus nobis eris Deus. *Ibid.*

S. Ignatius Loyola dicebat., summa spectantibus ab imis incipiendum esse. *Vit. l. V, c. III.*

## AUCTORES.

Jacobus Alvarez, tom. II, l. IV.  
Alphonsus Rodriguez, p. II, tr. III.  
Theophilus Bernardinus, de *Perseverantia Religiosa* lib. III et IV.  
Ludovicus Richeomus, in *Academia honoris.*

Eusebius Nierembergus, in *Doctrinis Asceticis*, lib. III, doct. IV; et *L. de Ador. c. XIV, xvi, xvii, XIX, et XX.*

Joannes Buseeus, in *Viridario*, v. Humilitas.  
Jeremias Drexelius, in *Rosis*, p. II, c. XIV.  
Petrus Sanchez, in *Regno Dei*, p. VII, c. II.  
Philippus D'Outreman, in *Pædagogico Christiano*, c. XXIV.

Hugo Rot, in *Via regia*, p. I, c. VII, s. 1; et p. II, c. XIX, s. 1; et p. III, c. XXVII, s. 5.

## HYPERDULIA MARIANA.

## QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est cultus quidam superior, qui B. Virgini propter singularem suam supra alios Sanctos excellentiam debetur. Nam ut S. Hieronymus ait, cæteris Virginibus et Sanctis per partes præstatur gratia; Mariæ vero se totam infundit gratiæ plenitudo, quæ fuit in Christo, quamquam aliter et aliter, quia in Christo fuit plenitudo gratiæ tamquam in homine personaliter definitio, in Mariæ vero ut in templo singulariter consecrato; in Christo sicut in capite influente, in Mariæ vero sicut in collo transfundente. *S. HIER. in serm. de Assumptione.*

ACTUS. — *Amor*, tam affectivus, quo B. Virgini de ejus gloria et privilegiis ex animo congaudemus et congratulamur, quam effectivus, quo opera que eidem singulariter placere cognoscimus, singulari quoque affectu studioque perficimus.

*Reverentia*, tam interna, in magna de ipsius excellentia et gloria æstimatione consistens, quam externa, per varias actiones conceptam

de illa æstimationem attestantes manifestata

*Fiducia*, qua, sive bona a Deo obtinere, sive mala a nobis repellere, desideramus, ad B. Virginem velut Matrem filiali affectu confugimus, eique omnem nostræ ac rerum nostrarum curam penitus committimus, quemadmodum S. Bernardinus hortatur dicens: Quidquid illud est, quod offerre et obtinere paras, Mariæ commendare memento, si non vis sustinere repulsam. Filiioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ. Dico vobis, si pie a nobis pulsata, si pie fuerit invocata, compatiatur nobis, non deerit necessitati nostræ. Siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas; quoniam Regina colorum est, misericors est, et Mater misericordiæ. *S. BERN. in s. de Nativitate.*

*Imitatio*, præcipue in vita optime et secundum vocationem instituenda; nam, ut bene quidam vecinit, Virginis est cultus pulcherrimus optima vita. Et, ut S. Ildephonsus ait, vera laudatio cordis imitatio est operis. *S. ILDEPH. s. de Assump.*

*Propagatio cultus Mariæ*; sive per conciones publicas, sive per privatas exhortationes, sive per librorum scriptiorem aut distributionem, sive per imaginum propositionem aut divisionem, sive per Rosariorum oblationem, sive per Confraternitatum suspensionem.

## EX S. SCRIPTURA.

## Maria Mater Christi.

Erat Mater Jesu ibi. *JOAN. II, 1.*

Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? *LUC. I, 43.*

Quod ex te nasceetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. *LUC. I, 36.*

Surge, et accipe Puerum cum Mariæ Matre ejus. *MATTH. II.*

Stabat juxta Crucem Jesu Mater ejus. *JOAN. XIX, 25.*

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. *IS. XI, 1.*

Et peperit Filium suum primogenitum. *LUC. II, 7.*

Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. *ECCLES. XXIV, 12.*

long. Lat.  
atq. s.  
Berni. 421